

PENITENTIAE SACRAMENTUM.

ARTICULUS I.

Quoad ea, quae concernunt Penitentiae naturam, materiam, & formam ac Ministrum.

SUMMARIUM.

- 1 Penitentia unde dicta.
- 2 Penitentia dupliciter sumitur, nempe ut est virtus, & ut est Sacramentum.
- 3 Penitentia ut virtus quid sit.
- 4 Penitentia ut Sacramentum quid sit.
- 5 Penitentia sic sumpta est verum, & proprie dictum novae Legis Sacramentum.
- 6 Penitentiae Sacramentum est immediate institutum à Christo Domino inchoative adhuc vivente in carne mortali, simpliciter tamen, & absolute in effectu post Resurrectionem.
- 7 Sacramentum Penitentiae est omnibus post Baptismum in peccatum mortale lapsis omnino necessarium ad salutem in re, vel saltem in voto.
- 8 Materia Sacramenti Penitentiae est duplex, scilicet proxima, & remota.
- 9 Materia proxima quae sit.
- 10 Actus penitentis quare dicantur materia proxima.
- 11 Materia remota quae sit.
- 12 Peccata quare dicantur materia remota.
- 13 Peccatum originale, & peccata actualia ante Baptismum commissa non sunt materia apta Sacramenti Penitentiae.
- 14 Hinc si Judaeus, seu Gentilis de recenti Baptizatus sola peccata ante Baptismum commissa vellet confiteri, ipse non possit absolvi.
- 15 Materia remota Sacramenti Penitentiae est duplex, videlicet necessaria, & sufficiens, & quae sit necessaria.
- 16 Et quae sufficiens.
- 17 Peccata jam rite confessi, & absoluti esse materiam sufficientem Sacramenti Penitentiae, & esse fructuosum, & salubre denuo confiteri ostenditur.
- 18 Adducitur, & solvitur instantia.
- 19 Dicitur materia necessaria, & sufficiens solet addi tertia materia remota, scilicet materia necessaria, sed non sufficiens, ut sunt peccata mortalia dubia.
- 20 Forma Sacramenti Penitentiae quae sit.
- 21 Licet speculative loquendo sola illa duo verba Absolvit te, vel equivalentia sint de essentia formae Absolutionis, ac necessario exprimentia necessitate Sacramenti, illa duo verba non possunt in praxi tamen totius tenendum est requiri tamquam de essentia formae Sacramentalis etiam illa verba à peccatis tuis, vel saltem à peccatis.
- 22 Aliter confessarius peccaret mortaliter, & exponeret Sacramentum probabili periculo nullius utilitatis sine necessitate, & contra justissimam voluntatem Penitentis.
- 23 Absolutio est valida, sed illicita, si detur aliis verbis, quae tamen non mutant sensum formae ordinariae, nec actum Judicii, & afferuntur varie similis formae.
- 25 Omnes dictae, & similes formae sunt valide.
- 26 Sunt tamen illicitae.
- 27 Absolutio data his verbis: Ego te mundo à peccatis, vel aliis verbis consimilibus à pluribus censetur insufficientis, & qui eam daret sub si-

- milibus verbis, peccaret mortaliter, sicut mortaliter peccaret qui extra casum necessitatis voluntarie relinqueret: Ego, &c. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.
- 28 Omissio vero aliarum precum, si fiat aliqua rationabili causa, non est ne quidem peccatum veniale.
- 29 Urgente aliqua necessitate, v. g. periculo mortis instantis, potest confessarius breviter dicere: Ego te absolvo ab omnibus Censuris, & peccatis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.
- 30 Absolutionis verba, non praecise, & nude indicant, & declarant penitentem esse à Deo absolutum, sed vere, & per modum sententiae judicialis, important absolutionem penitentis à peccatis loco Dei à confessario, velut à Judice pronuntiatam.
- 31 Absolutio non est valida, si proferatur modo de peccato.
- 32 Alia remissive.
- 33 Absolutio à quibus, & de quibus dari possit, vel non remissive.
- 34 Absolutio quibus dari possit, vel non remissive.
- 35 Minister Sacramenti Penitentiae est solus Sacerdos.
- 36 Non tamen quicumque Sacerdos est talis, sed solum ille, qui praeter potestatem Ordinis, habet etiam potestatem Jurisdictionis.
- 37 Quae requirantur in Ministro Sacramenti penitentiae ad valide, & rite ejus officium exercendum; remissive.
- 38 Ea, quae concernunt Ministrum Sacramenti penitentiae quoad ejus approbationem; remissive.
- 39 Ea, quae concernunt Ministrum Sacramenti penitentiae facultatem quoad absolutionem; remissive.
- 40 Varia alia quae concernunt Ministrum Sacramenti penitentiae; remissive.

Penitentia ex Divo Isidoro l. 6. etymolog. cap. ult. dicta est à nomine *Pana*, & à verbo *teneo*, quasi idem sit *panitere*, ac *panam tenere*. Unde penitentis est *panam tenere*, & penitentia est *pana tenentia*, ut semper quis puniat in se ulciscendo quod commisit peccando. Sic in re omnes *Catholici*.

Penitentia dupliciter sumitur, nempe ut est virtus, & ut est Sacramentum, *Communis*. Penitentia ut virtus est *deestatio*, ac *dolor animi de peccato quatenus est offensivus, & injuria Dei, cum intentione eam delendi, ac vindicandi, seu compensandi*. Estque in re ipsa *Contritio generatim sumpta de qua infra*. Sic in re *Communis*. Penitentia ut Sacramentum est, *absolutio hominis penitentis facta certis verbis cum debita intentione prolatis à Sacerdote jurisdictionem habente ex institutione divina efficaciter significantibus absolutionem animae à peccato*. Sic *Scouts in 4. dist. 14. q. 4.* Seu, quod idem est, & captu facilius, *Est Sacramentum novae legis, quo homo vere penitens & confessus à Sacerdote legitime certa verborum forma à peccatis absolvitur*. Sic in re *Communis*.

Penitentia sic sumpta est verum, & proprie dictum novae legis Sacramentum. Est de *Fide certa inter Catholicos*; Habetur enim *Matth. 16. Tibi dabo claves regni caelorum, & quaecumque solveris super terram, erit solutum & in caelis, & Matth. 18. Amen dico vobis, & quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligatae & in caelis, & quaecumque solveritis super terram, erunt soluta & in caelis; & est expresse definitum in pluribus Conciliis, & novissime in Concil. Trident. sess. 14. Can. 1. "Si quis dixerit, in catholica ecclesia penitentiam non esse vere, & proprie Sacramentum pro fidelibus, & proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post*

- post Baptismum in peccata labantur, ipsis Deo reconciliandis à Christo Domino institutum, anathema sit.
- Unde patet, quod Sacramentum penitentiae est immediate institutum à Christo Domino; *Est de Fide certum ex mox adducto Can. 1. sess. 14. Concil. Trid.* Et quidem potestas absolvendi praedicta, & promissa Apostolis, adeoque Sacramentum Penitentiae inchoative institutum est à Christo adhuc vivente vita mortali; *cap. 18. Matth.* simpliciter tamen, & absolute in effectu institutum est post Resurrectionem *Joann. 20.* Quando Christus Apostolis dixit: "Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt." Sic Concil. Trid. sess. 14. cap. 1. dicens: "Dominus autem Sacramentum Penitentiae tunc praecipue instituit cum à mortuis excitatus insuflavit in Discipulos suos dicens: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis potestatem remittendi & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit."
- Sacramentum Penitentiae est omnibus post Baptismum in peccatum mortale lapsis omnino necessarium ad salutem in re, vel saltem in voto elicendum ad eum Contritionem. Est certa & indubitata inter Catholicos. Habetur expresse in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 1. ibi: "Est autem hoc Sacramentum Penitentiae lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus." Unde Sacramentum Penitentiae rectissime appellatur à Sanctis Patribus *Secunda post naufragium tabula naufragis preparata*, prout habetur in *cap. Secunda post naufragium tabula, de penitentia dist. 1.* & à Conc. Tridentino. *cit. sess. 14. Can. 2. ibi: "Si quis Sacramenta confundens ipsum Baptismum Sacramentum Penitentiae dixerit, quasi haec duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Penitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit."*
- Materia Sacramenti Penitentiae est duplex, scilicet proxima, & remota. *Communis*. Materia proxima est actus penitentis, videlicet *Contritio, Confessio & Satisfactio*, de quibus infra. *Communis*. Et hi actus penitentis dicuntur materia proxima, quia proxime applicant materiam remotam, scilicet peccata sacris clavibus, ut per absolutionem remitti possint. In omni enim Sacramento materia proxima dicitur id, quo materia remota proxime applicatur, ut accedente forma Sacramentum proxime, & immediate perficiatur, ut ablutio aquae in baptismo, Unctio Chrisma in Confirmatione, traditio calicis, & cusulibet respective materiae remotae in Ordine, seu in Ordinibus &c. Materia remota sunt peccata actualia post Baptismum commissa. *Communis*. Et haec peccata dicuntur materia remota, quia non sunt proxime, & immediate remissibilia, nisi mediantibus actibus penitentis proxime applicantur sacris clavibus, ut per absolutionem remitti possint. *Communis*.
- Dicitur autem notanter materiam remotam esse peccata actualia post Baptismum commissa: quia peccatum originale, & peccata actualia ante Baptismum commissa non sunt materia apta Sacramenti Penitentiae, cum ipsa omnia deleantur per Baptismum, & Sacramentum Penitentiae, tamquam secunda post naufragium tabula, institutum sit à Christo ad delenda peccata post Baptismum commissa, ut docet *Scouts in 4. dist. 4. q. 5.* cum communis Catholicorum, & expresse definit Conc. Trid. sess. 14. can. 1. ibi: "Si quis dixerit, in catholica ecclesia penitentiam non esse vere & proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labantur, ipsis Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro

institutum, anathema sit;" & ibid. can. 2. ubi definit: *Penitentiam appellari secundam post naufragium tabulam per verba adducta supra, n. 7.* Hinc si *14* Judaeus, seu Gentilis de recenti baptizatus sola peccata ante Baptismum commissa vellet confiteri, ipse non posset absolvi; quia non afferret materiam aptam hujus Sacramenti Penitentiae. *Materia*.

An autem peccata mortalia commissa in ipsa susceptione Baptismi, sive peccatum fictitious, ut vocant Theologi (quod est illud, quo quis adultus sine debito dolore peccatorum à se commissorum ad Baptismum forte accedit; vel accedit cum voluntate aliquod peccatum mortale committendi) sint etiam materia hujus Sacramenti Penitentiae, adeoque in Confessione Sacramentali explicanda, non audeat affirmare *Ligorius lib. 6. num. 427.* sed pro parte affirmativa stant *ordicus Tauborinus lib. 5. cap. 1. n. 2.* *Felix Potestas in exam. Confess. tom. 1. part. 4. n. 3039.* *Suarez, alique multi cum S. Bonaventura, D. Thoma, & S. Augustino apud Ligorium l. c.*

Materia remota Sacramenti Penitentiae est duplex, videlicet necessaria, & sufficiens. Materia remota necessaria est omne peccatum mortale post Baptismum commissum, & numquam legitime confessum, & absolutum. *Communis*. Materia remota sufficiens est omne peccatum veniale, vel mortale jam rite confessum, & absolutum. *Communis*.

Quod peccata jam rite confessa, & absoluta sint materia sufficiens Sacramenti Penitentiae, possuntque denuo fructuose confiteri, & subijci clavibus ecclesiae, ultra praxim communem piorum hominum saepe saepius peragentium confessiones, tum generales, tum certorum particularium peccatorum jam rite confessorum, & absolutorum, habetur expresse in *Extravaganti inter communes incip. Inter cunctas S. Ceterum, de privilegiis*, ibi: "Ceterum licet, sicut praedicitur, de necessitate non sit iterum eadem confiteri peccata, tamen quia propter erubesceniam, quae magna est penitentiae pars, ut eorumdem peccatorum iteretur Confessio, reputamus salubre."

Nec valet dicere quod peccata jam rite confessa, & absoluta, & consequenter remissa non possunt iterum confiteri, ut absolvantur, seu remittantur, cum non amplius extet quid absolvatur & remittatur: Non valet, inquam, quia de ratione Sacramenti per se remissivi peccatorum & collativi gratiae, non est quod actu semper remittat peccata, sed quod per se conferat gratiam sanctificantem, quae ex natura sua est remissiva peccati, si nondum fuisset remissum, ut patet in peccatore jam ante confessionem sanctificato per veram contritionem, ubi licet Sacramentum Penitentiae rite nihil remittat, confert tamen gratiam natura sua remissiva peccati, si nondum remissum esset; & tale peccatum mortale jam ante confessionem deletum per veram contritionem adhuc est materia non solum sufficiens, sed etiam necessaria Sacramenti Penitentiae secundum omnes. Adeoque à fortiori peccatum mortale jam rite confessum & remissum, erit materia sufficiens remota, si nova accedat materia proxima, nempe nova dispositio penitentis, scilicet novus dolor, & nova Confessio ejusdem: Et si quavis Sacramentum Penitentiae non sit in tali casu remissivum peccati, cum non adsit, nec collativum primae gratiae sanctificantis, cum jam adsit; est tamen remissivum peccati, si adesset, & collativum gratiae secundae, seu augmenti prioris gratiae jam receptae, & remissivum poenae temporalis debite peccatis jam antea remissis; idque ex opere operato, & virtute Sacramenti, & non solum ex opere operantis, seu novae dispositionis, doloris, erubescenae, aliorumque actuum penitentis, per quos justum meretur gratiae augmentum, & remissionem poenae temporalis. Sic *Communis Doctorum cum S. Thoma in 4. dist. 17. q. 3. art. 3.*

- 19 Dicitur materiae necessariae, & sufficienti solet ad-
19 dicta materia remota, scilicet materia necessaria
sed non sufficiens. Et pro tali materia assignantur
peccata mortalia dubia, quae quidem sunt materia
necessaria, quia sunt necessario aperienda in Confes-
sione, aut non sunt materia sufficiens, quia sola pec-
cata dubia sine additione materiae certae non suffi-
ciunt pro obtinenda absolutione absoluta. Unde si
daretur casus, quo aliquis non haberet materiam
certam praeteritam, nec jam confessam & absolutam,
quam adderet, tunc posset solum ei impendi absolu-
tio conditionata, cum non possit dari sententia ab-
soluta, & certa pro peccato dubio, sed solum dicta
absolutio conditionata, quia sic consuleretur, & sa-
luti animae penitenti, & reverentiae Sacramenti, cu-
jus vitareur irreverentia, quae possit oriri ex pericu-
lo, quod penitens careret materia supra quam cade-
ret absolutio Sacramentalis: Et sic Sacramentum cae-
set nullum.
- 20 Si peccata mortalia dubia non includunt
certum peccatum veniale: scilicet si peccata dubia sint
tam in ratione peccati mortalis, quam in ratione pec-
cati venialis; tunc recte procedit doctrina Auctoris.
Verum si dubium sit tantum de mortali, non item
de veniali incluso, & inhærenti: tam locum habet
Doctrina posita sub num. 16. ✠
- 20 Forma Sacramenti Penitentiae sunt verba absolu-
tionis à sacerdote prolata, scilicet illa: *Ego te ab-
solvō à peccatis tuis*, vel alia aequipollentia quae actum
Judiciale sententiae absolventis sufficienter expri-
mant: Habetur ex Concilio Florentino in Decreto
unionis, ubi dicit: "Docet praeterea Sancta Synodus
Sacramenti Penitentiae formam, in qua praecipua
rejus vis sita est, in illis Ministris verbis positam esse:
Ego te absolvo &c. Quibus quidem de ecclesiae sanc-
tae more preces quaedam laudabiliter adjunguntur;
Ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spec-
tant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem
sunt necessaria.
- 21 Licet speculative loquendo sola illa duo verba *Ab-
solvō te*, vel aequivalentia, sint de essentia formae ab-
solutiois, ac necessario exprimenda necessitate Sa-
cramenti. Vid. verb. Absolutio art. 3. n. 2.
- 22 In praxi tamen tutius tenendum est requiri tam-
quam de essentia formae Sacramentalis etiam illa verba
à peccatis tuis, vel saltem à peccatis. Vide ibid.
num. 3.
- 23 Aliter Confessarius peccaret mortaliter, & expo-
neret Sacramentum probabili periculo nullitatis sine
necessitate, & contra justissimam voluntatem peni-
tentis. Vide ibid. num. 4.
- 24 Absolutio est valida, sed illicita, si detur aliis
verbis, quae tamen non mutant sensum formae ordi-
narie, nec actum iudicii, & afferuntur variae similes
formae. Vide ib. n. 5. Omnes dictae, & similes formae
sunt validae. Vide ibid. num. 6. Sunt tamen illicitae.
Vid. ib. num. 7.
- 27 Absolutio data his verbis: *Ego te mundo à pecca-
tis tuis*, vel aliis verbis consimilibus, à pluribus cen-
setur insufficiens; Et qui eam daret sub similibus
verbis, peccaret mortaliter, sicuti peccaret mortali-
ter, qui extra casum necessitatis voluntarie relinque-
ret: *Ego, & in nomine Patris & Filii, & Spiritus
Sancti*. Vid. ibid. n. 8.
- 28 Omissio vero altarum precum, si fiat aliqua ratio-
nabili causa, non est ne quidem peccatum veniale.
Vide ib. num. 9.
- 29 Urgente aliqua grave necessitate, v. g. periculo
mortis instantis, potest Confessarius breviter dicere:
*Ego te absolvo ab omnibus censuris, & peccatis, In no-
mine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen*. Vid. ib.
num. 11.
- 30 Absolutiois verba non praecise, & nude indi-
cant, & declarant penitentem esse à Deo absolutum,
sed vere, & per modum sententiae Judicialis impor-

- tant absolutionem penitentis à peccatis loco Dei à
Confessario velat à Iudice pronuntiatam. Vide ibid.
num. 12.
- 31 Absolutio non est valida, si proferatur modo depre-
cative. Vid. ib. n. 13.
- 32 Alia. Vid. ib. usque in fin.
- 33 Absolutio à quibus, & de quibus dari possit, vel
non possit. Vid. dict. verb. Absolutio art. 1. per tot.
- 34 Absolutio quibus dari possit, vel non. Vid. dict.
verb. Absolutio. art. 2. per tot.
- 35 Minister Sacramenti Penitentiae est solus Sacer-
dos; Communis inter Catholicos, & habetur expresse
ex pluribus Conciliis, & signanter ex Concilio Triden-
tino sess. 14. c. 6. & can. 10. & ex illo Joann. 20. ubi
Christus solis Apostolis, jam antea in ultima Cena
in Sacerdotes ordinatis postquam à mortuis resurre-
xerat, dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remi-
sseritis peccata, remittuntur eis*.
- 36 Licet autem solus Sacerdos sit legitimus Sacra-
menti Penitentiae Minister, non tamen quicumque
Sacerdos est talis, sed solum ille, qui praeter potes-
tatem Ordinis habet etiam potestatem Jurisdictionis,
id est legitimam jurisdictionem, vel Ordinarium, vel
saltem delegatam. Communis inter Catholicos: & cla-
re patet ex perpetua traditione, ac sensu ecclesiae, &
pluribus Conciliis, & praesertim ex Trid. cit. sess. 14.
cap. 1. ubi expressè dicit: "Persuasum semper in ec-
clesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc
confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse
debere, quam Sacerdos in eum proferat, in quem
ordinariam, aut subdelegatam non habet Jurisdi-
ctionem."
- 37 Quae autem requirantur in Ministro Sacramenti
Penitentiae ad valide, & rite ejus officium exercen-
dum. Vid. verb. Confessarius art. 2. per tot.
- 38 Ea, quae concernunt Ministrum Sacramenti Peni-
tentiae quoad ejus approbationem, Vid. verb. Appro-
batio, per totum.
- 39 Ea, quae concernunt Ministri Sacramenti Peni-
tentiae facultatem quoad absolutionem, Vid. verb.
Absolutio per totum.
- 40 Varia alia, quae concernunt Ministrum Sacramen-
ti Penitentiae, Vid. verb. Confessarius art. 4. per
tot. & verb. Sigillum.
- 41 Penitentiae Sacramentum iis, qui morbo pes-
tis infecti sunt, non tenetur per se prestare Episco-
pus, cum ille agat per Parochos, ut causa univer-
salis per particulares, sed parochos omnino tenetur,
quod & ratio suadet, & decreta Sac. Congr. appro-
bata à Gregorio XIII. declarant; quamquam admi-
nistrare illud possit aut directe per se, aut adhibita
opera alicujus Sacerdotis ab Ordinario approbati;
nam si parochus omnino per se id agere deberet, ce-
teri parochiani morbo non affecti nolent tunc à pa-
rocho recipere Sacramenta, eo quod sibi metuerent.
De Synod. Divoc. lib. 3. cap. 59. §. 7. nov. edit.

ARTICULUS II.

Quoad ea, quae concernunt Contritionem, & Con-
fessionem.

SUMMARIUM.

- 1 Contritio in communi, prout est genus ad Attritionem,
& Contritionem, quid sit.
- 2 Contritio sic generatur, & in communi rumpita di-
viditur in Contritionem perfectam, & Contritionem
imperfectam, seu Attritionem.
- 3 Contritio perfecta, quae est Contritio simpliciter, &
absoluta dicta, quid sit.
- 4 Quare dicatur Contritio, & de hac in articulo mor-
tis remissive.
- 5 Contritio imperfecta, seu attritio quid sit.
- 6 Quare dicatur Attritio.

Ar-

- 7 Assignatur differentia inter Contritionem, &
Attritionem.
- 8 An in Attritione, ut Penitens sufficienter ad
gratiam Sacramenti Penitentiae percipiendam
sit dispositus, aliquis Dei amor sit necessa-
rius? ad n. 10.
- 11 Attritio in Sacramento Penitentiae quomodo
dicatur fieri Contritio, & Attritus fieri Con-
tritus.
- 12 Ut Attritio cum Sacramento in re sufficiat
ad justificationem peccatoris, requiritur quod
procedat ex aliquo motivo supernaturali.
- 13 Sufficit tamen dolor de peccatis ob metum pa-
narum temporalium, ut à Deo immixtarum vel
immitteretur.
- 14 Et à fortiori sufficit Attritio, seu dolor de pec-
catis ob metum Gehennae.
- 15 Item sufficit Attritio ob turpitudinem peccati
supernaturaliter, seu ex Fide cognitiva.
- 16 Item sufficit ille dolor, quo quis dolet se non do-
lere de peccatis, sicut deberet, si per hoc ju-
di- cet, quod de suis peccatis vere dolet, sed non
tam vehementi dolore ac deberet.
- 17 Non sufficit tamen dolor ille, quo quis dolet
se non dolere de suis peccatis, si per hoc ju-
di- cet, se carere vera detestatione, & displicen-
tia peccatorum.
- 18 Attritio, etiam cognita ut talis, sufficit cum
Sacramento ad salutem, & justificationem.
- 19 Attritio, putata, & estimata tantum etiam invin-
cibiliter, quae secundum se non sit re ipsa vera
attritio, sicuti non est sufficienter ad fructuo-
sam susceptionem Sacramenti Penitentiae: ita
neque est sufficienter ad validam ejus suscep-
tionem: Seu quod idem est: Non potest da-
ri Sacramentum Penitentiae validum, & in-
forme.
- 20 Adducitur ratio, ad n. 21.
- 22 Afferitur, & solvitur obiectio, ad n. 23.
- 24 Afferitur, & solvitur alia obiectio, ad n. 25.
- 26 Afferitur, & solvitur adhuc alia obiectio, ad
n. 27.
- 28 Afferitur, & solvitur instantia de supposita adul-
tera Marti Graiani, Petri Lombardi, & Pe-
tri Comestoris, ad n. 30.
- 31 Ad valorem Sacramenti requiritur dolor super-
naturalis, & universalis saltem virtualiter respec-
tu omnium peccatorum mortalium.
- 32 Secus autem est de peccatis venialibus.
- 33 Dolor de peccatis mortalibus commissis debet
esse summus non intentione, sed appetitive.
- 34 Dolor requisitus ad Sacramentum Penitentiae
consulto, & utilissime praemittitur Confessione,
non debet tamen necessario Confessionem praecedere,
sed sufficit, ut eliciatur in ipsomet Confes-
sionis actu.
- 35 Debet tamen talis dolor necessario praecedere
absolutionem, nec sufficit, si eliciatur post ip-
sam absolutionem.
- 36 Non est autem necesse, quod dolor, seu At-
tritio eliciatur immediate ante absolutionem,
vel Confessionem, sed sufficit, quod sit elicitus
ante, & non sit retractatus.
- 37 Qui in Confessione oblitus est alicujus peccati
mortalis, de quo antea explicite, & forma-
liter non doluit, potest paulo post datam absolu-
tionem illud confiteri, absque eo quod habeat
novum dolorem.
- 38 Item si propter imminens mortis periculum ab-
solvatur moribundus, audit tantum uno, vel
altero peccato, potest postea auditis reliquis se-
cundo absoluti ab illis ex vi prioris doloris mor-
taliter permanens, absque eo quod novum eli-
ciat dolorem.
- 39 Dolor ad hoc, ut sufficiat pro valore Sacra-

- menti, debet esse conjunctus cum proposito non
peccandi de cetero.
- 40 Propositum non peccandi de cetero, quamvis
per se loquendo debeat esse formale, & ex-
pressum, tamen sufficit etiam, quod sit impli-
citur, & virtuale.
- 41 Propositum debet esse absolutum, firmum, ef-
ficax, & universale se extendens ad omnia
mortalia imposterum evitanda.
- 42 Quamvis autem propositum debeat esse absolu-
tum, firmum, efficax, & universale, non re-
quiritur tamen credulitas, seu existimatio, vel
persuasio certa ex parte intellectus, quod quis
deinceps non amplius sit relapsurus.
- 43 Circa sola peccata venialia, sicuti in Sacramen-
to Penitentiae requiritur supernaturalis dolor,
& detestatio eorum; ita requiritur propositum
absolutum saltem virtuale, & implicitum vi-
tandi ipsa venialia confessa, vel saltem unum,
aut alterum ipsorum.
- 44 Afferitur prima haeresis exorta circa Confessionem
Sacramentalem.
- 45 Talis haeresis evincitur ex Sacra Scriptura.
- 46 Evincitur etiam ex Conciliis.
- 47 Afferitur secunda haeresis circa Confessionem Sa-
cramentalem.
- 48 Talis haeresis evincitur ex Scriptura & Con-
ciliis.
- 49 Adducitur, & solvitur obiectio ex falso Nec-
tarii Patriarchae Constantinopolitani, & S.
Joannis Chrysostomi, ad n. 50.
- 51 Afferitur tertia haeresis circa Confessionem Sa-
cramentalem.
- 52 Talis haeresis evincitur ex Concilio Tridentino, &
ex ipsa ratione.
- 53 Confessio Sacramentalis quid sit.
- 54 Ad constituendam, seu faciendam legitimam,
& perfectam Sacramentalem Confessionem sex-
decim communiter assignantur qualitates, seu
conditiones, quae afferuntur.
- 55 Prima conditio, seu qualitas, scilicet quod sit
simplex, quid importet.
- 56 Secunda, quod sit humilis, quid importet.
- 57 Tertia, quod sit pura, quid importet.
- 58 Quarta, quod sit fidelis, quid importet.
- 59 Quinta, quod sit frequens, quid importet.
- 60 Sexta, quod sit nuda, quid importet.
- 61 Septima, quod sit discreta, quid importet.
- 62 Octava, quod sit libens, quid importet.
- 63 Nona, quod sit verecunda, quid importet.
- 64 Decima, quod sit integra, quid importet.
- 65 Undecima, quod sit secreta, quid importet.
- 66 Non esset tamen invalida Confessio, si ex aliqua
necessitate, aut alia de causa publicae, seu alius
audientibus fieret.
- 67 Duodecima, quod sit lacrymabilis, quid im-
portet.
- 68 Tertiadecima quod sit accelerata, quid im-
portet.
- 69 Quartadecima, quod sit fortis, quid importet.
- 70 Quintadecima, quod sit accusans, quid im-
portet.
- 71 Sexiadecima, quod sit parere parata, quid im-
portet.
- 72 Ex supradictis sexdecim Conditionibus, seu
qualitatibus bonae, & perfectae Confessionis,
sole tres sunt necessariae ad valorem Sacra-
menti, nempe fidelitas, dolor, & integritas,
aliae autem pertinent solum ad modum, & per-
fectionem ipsius.
- 73 Quoad fidelitatem, & Dolorem nihil remanet
addendum.
- 74 Quoad integritatem autem varia adhuc reman-
ent addenda & praeterita quod ipsa integritas
est duplex, scilicet, materialis, & formalis.

Y

- 75 Integritas materialis in quo consistat.
- 76 Integritas formalis in quo consistat.
- 77 Confessio ut sit valida, debet semper esse integra saltem integritate formali.
- 78 Item per se, ac regulariter loquendo Confessio debet semper esse integra integritate materiali.
- 79 Per accidens autem, & in quodam casu extraordinario Confessio potest esse valida cum sola integritate formali absque integritate materiali.
- 80 Causa excusantes ab integritate materiali Confessionis generatim tres assignantur, scilicet inculpa ignorantia, seu oblitio, impotentia physica, & impotentia moralis ob grave damnum proprium vel alienum, tam corporale, quam spirituale, alioquin secuturum.
- 81 Ratione inculpa ignorantia, seu oblitio excusantur omnes illi, qui praemisso sufficienti examine, non recordantur alicujus peccati mortalis aut ignorantia invincibili penitus ignorant illud esse grave peccatum.
- 82 Ratione impotentia physica excusantur omnes illi, qui aliqua impotentia physica omnino impediuntur ad integrè confitendum, sive impotentia oriatur ex parte Confessarii, sive ex parte Penitentis, & assignantur casus.
- 83 Item ab integritate materiali Confessionis excusatur mutus, qui uno, vel altero peccato explicato per nutus, vel sineque hoc facere possit, signo doloris de suis peccatis edito, absolvi potest; Si tamen scribere sciat, expedit ut sua peccata integre in scriptis Confessario exhibeat, ad quod probabiliter, & tutius tenetur.
- 84 Item ab integritate materiali Confessionis excusatur vir ignarus idiomatis non habens Confessarium peritum suae linguae.
- 85 Is autem quomodo urgente praeepto Ecclesiastico annua Confessionis non teneatur confiteri per interpretem; tamen in periculo mortis, si dubitet non posse verum Contritionis actum elicere, tenetur non quidem praeepto divino, sed ex praeepto caritatis erga seipsum per interpretem confiteri.
- 86 Ratione impotentia moralis ob grave damnum proprium, vel alienum tam corporale, quam spirituale alioquin secuturum, excusantur ab integritate materiali omnes illi, qui ex Confessione omnium peccatorum rationabiliter, & prudenter timent sibi, aut Confessario, vel tertiae personae aliquod grave damnum corporale, vel spirituale; & assignantur casus ad n. 87.
- 88 Non excusat tamen ab integritate materiali Confessionis magnus penitentium concursus, ob quam non licet facere dimidiatam Confessionem.
- 89 Quantum ad peccata, quae propter supradictas causas licite in Confessione reticentur, non requiritur dolor Contritionis ad eorum remissionem, sed sufficit dolor Atritionis, & propositum illa confitendi, cessante causa, seu impotentia.
- 90 Ea tamen peccata, quae antea ob justam causam, seu impotentiam non potuit quis confiteri, debet postea data opportunitate in proxima Confessione exprimere, & directe clavibus ecclesiae subijcere, ut ab ipsis directe absolvetur.
- 91 Penitens habens mortalia, & venialia non peccat contra Confessionis integritatem, si prius confiteatur uni Confessario mortalia, & postea alteri bonam opinionem de ipso habenti nimia reverentia affectus confiteatur sola venialia,
- 92 Ab integritate materiali Confessionis non excusat infamia propria, aut complicitas apud solum Confessarium.
- 93 Adducitur, & solvitur instantia.
- 94 Penitens habens peccata reservata, si in urgente necessitate celebrandi, vel communicandi, non habeat copiam Confessarii valentis & reservatis absolvere, tenetur pro servanda integritate Confessionis ipsa peccata reservata una cum non reservatis confiteri Confessario inferiori, etiam non habenti facultatem absolvendi & reservatis.
- 95 Non potest Superior sine urgente causa absolvere tantum & reservatis, & quoad reliqua remittere penitentem ad inferiorem.
- 96 Penitens sic absolutus in urgente causa, seu casu & reservatis à Superiore, adeundo Confessarium inferiorem pro absolutione directà à non reservatis, probabiliter non tenetur reconferri cum ipsis etiam reservata jam confessa, & absoluta.
- 97 Adducitur, & solvitur instantia.
- 98 Sicut etiam qui iusta de causa in aliquo casu urgentis necessitatis, non extante Confessario approbato pro reservatis, fuit absolutus à Confessario non approbato pro reservatis, non tenetur denuo reconferri Confessario approbato pro reservatis etiam peccata non reservata jam confessa, & absoluta.
- 99 Ad integritatem Confessionis requiritur, ut penitens omnia mortalia confiteatur, tam quoad speciem, quam quoad numerum in eadem specie.
- 100 Unde autem oriatur distinctio specifica, & numerica peccatorum? remissive.
- 101 Penitens igitur in Confessione debet exprimere numerum omnium suorum mortalium peccatorum, de quibus post diligens examen recordatur: Si autem certus numerus non occurrat, debet exprimere numerum verisimilem.
- 102 Item ad integritatem Confessionis requiritur, ut penitens confiteatur, non solum omnia peccata mortalia, tam quoad speciem, quam quoad numerum in eadem specie, sed etiam circumstantias speciem peccati mutantem.
- 103 Circumstantia peccati quid sint.
- 104 Circumstantia peccati septem enumerantur in hoc vulgari versu contentae:
Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis,
Cur, Quomodo, Quando.
- 105 Quid denotetur per ly Quis.
- 106 Quid denotetur per ly Quid.
- 107 Quid denotetur per ly Ubi.
- 108 Quid denotetur per ly Quibus auxiliis.
- 109 Quid denotetur per ly Cur.
- 110 Quid denotetur per ly Quomodo.
- 111 Quid denotetur per ly Quando.
- 112 Tales circumstantiae, aliae sunt mutantem speciem, & aliae simpliciter aggravantes intra eandem speciem.
- 113 Quae sint circumstantiae mutantem speciem.
- 114 Quae sint circumstantiae simpliciter aggravantes intra eandem speciem.
- 115 Circumstantiae aggravantes, aliae sunt notabiliter aggravantes, & aliae parum, seu leviter aggravantes.
- 116 Circumstantiae notabiliter aggravantes quae sint, hisque adduntur aggravantes in infinitum, & explicantur.
- 117 Circumstantiae parum, seu leviter aggravantes quae sint.
- 118 Ex supradictis circumstantiis sunt necessario constituenda illa, quae mutant speciem, & aggravantes in infinitum.

Non

- 119 Non sunt necessario constituenda circumstantiae, parum, seu leviter tantum aggravantes.
- 120 Circumstantiae notabiliter aggravantes an sint necessario constituenda? ad n. 122. ubi resolutur probabiliter, & tutius pro affirmativa.
- 123 Afferuntur probationes pro nostra affirmativa conclusione, ad n. 125.
- 126 Respondetur ad rationem opinionis contrariae.
- 127 Circumstantia consuetudinis quomodo per se loquendo non sit necessario constituenda, tamen interdum per accidens obligatur penitens ad talem circumstantiam aperiendam, & signanter, quando à Confessario ad id interrogatur.
- 128 Peccata mortalia dubia sunt necessario constituenda, sub dubio tamen.
- 129 Qui confessus est peccatum aliquod mortale, ut dubium, si postea reperiat illud certum, tenetur illud denuo ut certum confiteri.
- 130 Qui confessus est peccatum mortale tamquam certum, quale tunc parabat esse, quomodo postea judicet dubium, non tenetur iterum confiteri ut dubium.
- 131 Item qui confessus est peccatum integre, prout commissum est, & prout erat in sua conscientia tempore Confessionis, quomodo protunc, & ipse Confessarius dubitaverit, an esset mortale, vel veniale, non tenetur illud iterum confiteri, licet postea ipse, vel Confessarius conperiat, seu agnoscat fuisse mortale.
- 132 Penitens non potest licite, nec valide confiteri Confessario absentem per literas, aut Nuntium, & ab eo absolvi, etiamsi reperitur in articulo mortis.
- 133 Sic etiam invalida esset absolutio, si Confessarius penitentem presentem audiret, & postea per literas eum absentem absolveret.
- 134 Valida autem est Confessio, si per literas penitens mittat peccata Confessario absentem, qui ea legat, & huic factus praesens dicat: Accuso me de peccatis illis, quae tibi scripsi, & peto absolvi; Sicut etiam si praesens peccata scripta det Confessario legendam, & postea dicat: de istis peccatis scriptis me accuso, & peto absolvi: non est tamen hoc faciendum sine rationali causa.
- 135 Immo volunt multi hoc extra casum necessitatis esse illicitum.
- 136 Confessio ex traditione, consuetudine, & usu ecclesiae debet regulariter, & ordinario esse vocalis.
- 137 Unde graviter peccaret qui sine justa causa signis, vel nutibus solum confiteretur.
- 138 Si perpetuo mutus possit scribere, aut si hoc non possit, possit autem saltem nutibus, & signis sua peccata in particulari aperire, cessetque periculum publicationis; tenetur ita scripto, nutibus, vel signis confiteri, non tantum ex praeepto divino, in articulo mortis, sed etiam ex praeepto ecclesiastico semel in anno, quomodo tamen extra articulum mortis non pauci id negent.
- 139 Confessio est necessario iteranda, quoties est invalida; quod ex duplici capite accidere potest, scilicet ex parte Confessarii, & ex parte penitentis.
- 140 Assignatur, quando confessio sit invalida, & iteranda ex parte Confessarii.
- 141 Assignatur, quando confessio sit invalida, & iteranda ex parte penitentis.
- 142 Valida est, & non iteranda confessio bona fide facta Confessario, quantumvis indocto, & ignaro, etiamsi inter mortale, & veniale discernere nequeat; immo etiamsi putasset ali-
- quod peccatum esse veniale, quod tamen est mortale.
- 143 Invalida tamen, & iteranda esset confessio, si scilicet scienter, & ex malitia sua cum eo, ut peccata discernere nequeat, & penitentem maledici, ut oportet, non possit.
- 144 Item valida est, & non iteranda confessio bona fide facta Confessario Sordidato, semidormienti, seu distracto, qui aliquis peccata etiam mortalia non intellexit sine omni culpa penitentis: Quod si penitens postea advertat, tenetur in sequenti confessione ea sola repetere, quae probabiliter iudicatur aut cognoscitur non fuisse audita, aut percepta.
- 145 Si autem penitens post talem confessionem nesciat quanam sint illa peccata mortalia, quae Confessarius non audivit, aut non percepit, tenetur tunc repetere totam confessionem, si illa sit brevis, & paucorum peccatorum; Si autem confessio fuit proluxa, & multorum peccatorum, tunc non tenetur omnia repetere, sed satis erit se accusare in communi de illis peccatis mortalibus, quae Confessarius non audivit, aut non percepit determinando materiam, quantum fieri potest.
- 146 Qui culpabiliter in confessione aliquod peccatum mortale tacuit, & postea in aliis confessionibus subsequenter inculpabiliter est oblitus illius sacrilegi, non tenetur ad omnes istas subsequentes confessiones iterandas, quando recordatur talem sacrilegi; sed solum tenetur ad iterandam illam, in qua per culpabilem reticentiam illius mortaliter peccati sacrilegium commisit.
- 147 Qui certus de mortali in confessione omisso negative dubitat, an illud omiserit ex veracundia, an ex justa causa, tenetur cum illo reliquorum mortalium confessionem repetere.
- 148 Qui inculpabiliter omisit in confessione aliquam circumstantiam etiam speciem mutantem, si talis circumstantia seorsim sufficienter declarari possit, non tenetur repetere totum peccatum, & multo minus totam confessionem praeteritam.
- 149 Qui culpabiliter fecit confessionem invalidam, undecumque proovenit invaliditatem, tenetur repetere confessionem.
- 150 Si talis confessio invalida, & sacrilega retinetur apud Confessarium diversum à primo, tunc debet necessario repeti apud hunc omnia, & singula mortalia distincte, & in particulari, ac si nunquam fuissent confessae exprimendo sacrilegium, quod fecit.
- 151 Si autem confessio invalida repetatur apud eundem Confessarium, & hic habeat adhuc distinctam memoriam peccatorum sibi confessionis aperiat, & in genere addat: Etiam me accuso de omnibus peccatis in tali confessione sacrilega tibi confessis.
- 152 Immo id verum est, etiamsi Confessarius eorum peccatorum singillatim in specie, & numero non recordetur: dammodo talem confusè recordatur status penitentis, ut convenientem penitentiam, medicinam, ac remedia praescribere possit.
- 153 Item verum hoc est, & sufficiens in repetendis multis, & plurimis confessionibus invalide factis apud eundem Confessarium, sive invaliditas proveniat ex defectu doloris, sive ex defectu integritatis, sive ex aliis capitibus; sufficit enim, quod Confessarius recordatur in confuso, & in communi status, ac vitam penitentis, quam tunc ducebat, & quod penitens in compendio, & generatim de omni-

Y 2

bus

ERRATA BIBLIOTHECAE TOMI VII.

- bus se accuset, & defectum corrigat, dicendo v.g. Accuso me de omnibus illis peccatis, quæ tibi confessus sum in cunctis sacrilegis confessionibus tuis ab hinc annis, usque ad hanc, à quo tempore bis ordinarie omni mense confessus sum, & communicavi, quia reticueram maliuose istud peccatum, vel non habui verum dolorem, & propositum, & huiusmodi.
- 154 Si vero confessarius, nequidem in confuso & in communi recordetur status, ac vita penitentis, quam tunc ducebat, aut penitentia d se ei imposita, tunc penitens tenetur saltem ea distincte repetere peccata in aliis confessionibus confessa, ut ex ipsis, & aliis modo confessis possit confessarius iterum formare iudicium saltem confusum de statu penitentis, & ipsis congruam injungere Penitentiam.
- 155 Præceptum confessionis tum divinum, tum ecclesiasticum obligat omnes fideles peccato mortali obnoxios, adeoque etiam hæreticos, & pueros doli capaces.
- 156 Præceptum divinum confessionis obligat per se potissimum in articulo mortis, ac qualibet ejus mortali periculo.
- 157 Per accidens autem præceptum divinum de habenda confessione sacramentali obligat, quando sumendum est aliud Sacramentum, respectu eorum, qui sibi conscii sunt peccati mortalis, & præsertim quoties sumendum est Sacramentum Eucharistiæ.
- 158 Præceptum confessionis Ecclesiasticum obligat omnes fideles, etiam hæreticos, & pueros doli capaces ad semel saltem in anno confitenda omnia sua peccata mortalia.
- 159 Nullum datur præceptum, nec ecclesiasticum quidem obligat omnes fideles ad confessionem peccatorum venialium.
- 160 Quamvis autem non habentes ullum peccatum mortale nullo præcepto obligentur per se ad confessionem annuam venialium, tamen possunt per accidens obligari ad ipsam ratione scandalii.
- 161 Qui pluries in anno confessus est peccata sola venialia, si die ultima anni peccet mortaliter, vel recordetur peccati mortalis non confesit, tenetur illa ultima die confiteri ad satisfaciendum præcepto, cui necdum satisfecit.
- 162 Qui tamen mortale peccatum anno præcedente commissum, & per oblivionem ommissum, hoc anno confessus est, satisfecit præcepto.
- 163 Qui per annum saltem semel confessus est mortale dubium cum venialibus, satisfecit præcepto, nec tenetur iterum confiteri, quamvis postea incidat in mortale certum.
- 164 Annus pro implendo hoc præcepto, secundum aliquos, computandus est à die prima Januarii usque ad ultimam Decembris. Communis autem, & ecclesiasticæ consuetudini conformis, secundum alios, computandus est à Paschate ad alterum Pascha.
- 165 Præceptum annuæ confessionis potest per se adimpleri in quocunque anni tempore. Nec obligat per se tempore Paschali, sed solum per accidens ratione communionis Paschalis.
- 166 Affertur, & solvitur instantia.
- 167 Si quis, sive culpabiliter, sive ob legitimum impedimentum in Paschate non est confessus, is tenetur postea per anni decursum confiteri.
- 168 Qui toto anno non confitetur sine justa causa, peccat mortaliter.
- 169 Insuper qui culpabiliter non confitetur semel in anno, vivens interdicitur ingressu Ecclesiæ, & mortuus privatur ecclesiastica sepultura.

- 170 Ipse tamen non adimplens præceptum annuæ confessionis non est ipso jure interdictus, sed interdicens.
- 171 Qui sive justa, sive injusta de causa confessionem annuam omisit, tenetur postea confiteri cum primum commode poterit.
- 172 Quo quis diutius differt confessionem ultra annum, probabiliter est eo gravior peccare; dilatio tamen illa probabiliter est unicuique peccatum continuatum.
- 173 Qui, pluribus annis jam elapsis, non est confessus, confitendo prima, vel secunda, vel alia die hujus currentis anni, valet hæc sua unica confessio, tam pro hoc anno, quam pro omnibus annis præteritis.
- 174 Si autem adhuc ante finem hujus anni relaberetur in mortale, probabiliter obligaretur ad iterum confitendum hoc anno.
- 175 Præcepto ecclesiasticæ annuæ confessionis non satisficit per confessionem voluntarie nullam, & scienter invalidam, et sacrilegam.
- 176 Præcepto annuæ confessionis potest satisfieri confitendo, cum proprio paroco, tum aliis confessariis legitime approbatis, sive Secularibus, sive Regularibus.
- 177 Non sufficit tamen confessio facta Regulari, qui pro approbatione se præsentavit Episcopo, & fuit injuste reprobat.
- 178 Alia ad rem, remissive.

Contritio in communi, prout est genus ad Attritionem & Contritionem: Est dolor animi, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero. Sic expresse Concil. Trid. sess. 14. cap. 4.

Contritio sic generatim, & in communi sumpta dividitur in Contritionem perfectam, & in Contritionem imperfectam, seu Attritionem; Communis Catholicorum cum Tridentino loc. citat. Contritio perfecta, quæ est Contritio simpliciter, & absolute dicta est dolor animi, ac detestatio peccati propter Deum summe dilectum, & super omnia, cum firmo proposito non peccandi de cetero. Communis. Et dicitur 4. Contritio quia peccatorem perfectam, & proxime disponit ad gratiam sanctificantem, ipsamque peccatum omnino delet, ac veluti conterit; Communis; & de hac in art. mortis: Vide verb. Moribundus n. 30. Contritio, imperfecta, sive Attritio est dolor animi, ac detestatio peccati contra Deum commissi propter turpitudinem peccati vel metum Inferni vel alterius mali, conceptus cum firmo proposito non peccandi de cetero. Communis. Et dicitur 6. Attritio, quia peccatorem non penitus disponit ad ipsam gratiam sanctificantem, sed solum ita disponit, ut cum Sacramento Penitentia capax sit gratia sanctificantis, ipsamque per se non delet, vel conterit; sed solum quasi atterit, & ita applicat, ut per Sacramentum remissibile fiat. Communis.

Unde Contritio, & Attritio conveniunt in hoc, quod utraque est dolor supernaturalis cum proposito non peccandi de cetero, sed differunt inter se, & ratione motivi, & ratione effectus. Ratione motivi differunt, quia Contritio fit ex motivo charitatis erga Deum, id est, ex motivo objecti, nempe Dei summe, & super omnia diligendi, ipsamque Deum respicit quatenus in absolute bonum atque perfectum. Attritio vero ex motivo charitatis erga se ipsum, seu ex motivo timoris Inferni, vel alterius mali, quibus Deus castigare solet peccata, ac in Deum tendit quatenus nobis bonus, & nostra beatus. Ratione effectus differunt, quia Contritio per se remittit peccata, & justificat extra Sacramentum in re, quamvis non sine voto Sacramenti Penitentia; Unde Contritus tenetur sub mortali quo tempore confiteri. Attritio vero quantumvis supernatu-

rals per se non sufficit ad justificationem, & remissionem peccati mortalis sine Sacramento Penitentia in re. Sic Doctores communiter junctio Conc. Trid. sess. 14. c. 4.

8 Difficultas autem est, an Attritio, ut ad Sacramentum Penitentia, gratiamque per ipsum percipiendam sufficiat, debeat esse cum aliquo Dei amore conjuncta, & quidem hæc de re multa est lis inter Theologos varie sentientes ut infra: prius tamen animadvertendum necesse arbitror hoc in punto ad hæc usque tempora nil ecclesiam difinisse, licetque adhuc sub Judice fore. Porro nihil decretorie pronuntiavit imprimis Conc. Trid. ut fuse ac perdocte ostendit inter alios Tournely in præfationibus de Sacramento Penit. q. 5. art. 2. siquidem ex locis, in quibus S. Synodus circa dispositiones ad justificationis gratiam obtinendam necessariae mentem aperit, nulla extendit definitio, nullumque decretum controversiam præmissam dirimens; quippe proculdubio in locis præsignatis vel nullam de dilectione facit mentionem; vel si de dilectione verba facit, non est respectu attritionis ad confessionem, vel non constat, an de dispositionibus agat necessariis ad justitiam obtinendam in Sacramento penitentia, vel extra; immo dum de attritione generatim, vel de attritione in ordine ad Sacramentum Penitentia peragitur, amor non exprimitur, ut singula percurrunt fit obivium, nec inter ca. ones, in quibus dogmaticæ definiuntur veritates, est ullus, qui expresse statuatur amorem Dei necessariam esse dispositionem ad gratiam in Sacramento Penitentia percipiendam. Rem plene comprobatur Alexandri VII. auctoritas; siquidem nil ea in re definitum fuit in Conc. Trident. supponit: dum de anno 1667. die 5. Maji ad exortas inter scholæ Theologos dissentiones extinguendas, pacemque eos inter fovendam conceptis verbis prohibuit, Ne quis audeat alicujus theologica censura alteriusve injurie, aut contumelie nota taxare alteram sententiam, sive negantem necessitatem aliquis dilectionis in præfata attritione ex mera gehenna concepta, que hodie inter Scholasticos communior videtur, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hæc in re definitum; igitur &c. Secundo nec tempestate posteriori aliquid ab Ecclesia definitum est, siquidem nulla prosat assignabilis determinatio circa controversiam: immo impresentiarum adversi inter se Theologi permittuntur contrarie opinari. Hinc nemo inficias ibit quidquid à Theologis in diversa aërentibus ex Trident. vel ex Eccles. ingeritur de dilectionis actu in attritione respectu Sacramenti Penitentia id mere opinative, & ex ratiocinio Theologico proficisci.

9 Proclamant igitur aliqui, quod ut Penitens sufficienter dispositus extet ad Sacramenti Penitentia gratiam obtinendam, nullum necesse exposulari in attritione amorem Dei; ac attritionis notionem non nisi esse juxta sess. 14. Trid. can. 4. quod sit animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero, ex turpitudine peccati, vel ex gehenna metu conceptus; & hæc est, quam inter Scholasticos suo tempore communior supra textatus est Alex. VII. Alii opinavere attritionem talem haberi debere, ut bona fide contritio existimetur. Alii contendunt, & quidem communis hujus temporibus attritionem, ut sufficiens sit ad Sacramentum, requirere Dei amorem, non sane contritionis perfectæ ex motivo charitatis, & amicitia tendentis in Deum ut in se summo bonum, sed ex motivo spei, & amoris concupiscentia: terminantis in Deum, quatenus nobis bonus, nostra beatitudo, & finis ultimus. Uno verbo: Necessarium in attritione astruunt aliquem Dei amorem imperfectum, quem initialem, & inchoatum nuncupatum habent, quo Penitens incipiat, & inchoet diligere Deum

tamquam fontem totius justitiæ, phrase accepta ex sess. 6. cap. 6. ubi Sacros. Synod. præter actus fidei, & spei, requirit in Catechumenis ad Baptismum, ut Deum tamquam totius justitiæ fontem diligere incipiant, ac propterea moveantur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem. Alii nota: non minus conspicui, tum ante, tum post Trident. ferventius quidem, sed rigidius censuerunt, ad Sacramentum Penitentia necessariam contritionem perfectam; cumque Trid. sess. 14. cap. 4. de contritione imperfecta doceat, quod quamvis extra Sacram. Penit. ad Justificationem perducere non valet, tamen ad impetrandam justificationis gratiam in ipso Sacramento disponat, reponant qui post Trid. scripsere, contritionem imperfectam admittendam esse tamquam remoram dispositionem; Ceterum proximam, & immediatam fatendam esse contritionem perfectam. Verum isti ex Trid. & Eccles. minus potius sortuntur præsidium, quam attritionis amore initiali informata: Patroni; enim verolice Trident. can. 4. inter actus penitentis, quos quasi materiam Sacramenti Penit. definit, contritionem enumerat, non exprimit tamen se perfectam intelligere, & alibi ne verbum quidem habet Conc. de necessitate contritionis perfectæ ad Sacram. Penitentia, ut legenti fit palam: immo hæc obscure oppositum patet. ex allatis verb. sess. 14. c. 4. pluries cit. Nec magis favet eis ecclesia, siquidem nedom pro ipsis nullam protulit sententiam, sed ex ejusdem praxi, ut jam alibi monuimus, moraliter certum est attritionem ad Sacram. sufficere; immo alii qui post Tridentinam sententiam exigentem perfectam Contritionem erroneitatis nota incurrunt; tamen numquam satis laudatum, & commendatum se in actibus contritionis perfecte exercere, atque ad id singulariter sub munimentum Dei divitis in omnes, qui invocant illum, confugere.

Ut autem, quid circa difficultatem mea fert opinio exploratum habeas, meminisse oportet, quæ de attritione Sacros. Syn. sess. 14. c. 4. tradidit adversus veritatis hostes, nempe attritionem non facere hominem hypoeritam, & magis peccatorem, sed esse donum Dei, impulsus Spiritus Sancti, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo penitens adjutus viam sibi ad justitiam parat; & quamvis extra Sacramentum ad Justificationem perducere non valeat, tamen ad impetrandam Justificationis gratiam in ipso Sacram. disponit; quibus positis, opinor non scrupulizandum, & ipsimet supernaturalem attritionis actum ex sui natura vel explicite, vel implicite secum semper ducere aliquem Dei amorem; movetur enim penitens per attritionem ad aversionem à peccatis, & conversionem ad Deum, estque ille supernaturalis dolor de peccatis, eo quia ipsis, quatenus Dei offensæ, debita est poena, atque ideo ad dolendum movetur penitens de peccatis prout sunt offensæ Dei cum proposito observandi demiceps illius mandata, & similia, hæc autem non videntur posse concepiti absque aliquo Dei amore explicite, vel implicite, formali, seu virtuali, ac quin vehant secum dilectionem in Deum, ut avertat à peccis & se misericordem ostendat; unde juxta D. August. lib. 14. de Civ. Dei cap. 7. & S. Thomam in supplem. q. 3. art. 1. dolor in amore fundatur rei illius, de cujus jactura dolemus, igitur &c. necnon in præfato sensu varia infra posita veniunt intelligenda.

* Attritio de peccatis sufficit quidem ex mente Tridentini ad disponendum penitentem, ut Dei gratiam in Sacramento Penitentia obtineat, sed quamvis sit ista attritio, non satis liquet; potest enim esse cum aliquo Dei amore conjuncta, sed debili, tenui, ac remisso. Potest etiam esse dolor propter Deum, non quatenus est summe bonus, sed quatenus est bonus nobis; potest insuper esse dolor de peccatis unice conceptus propter eorum turpitudinem, aut solum me-

tum poenarum, & gehennae absque ulla Dei dilectione. Haec tamen postrema attritio potest etiam excitari ex metu gehennae, ut jungatur cum aliquo Dei amore initiali, quatenus ita peccata odio habentur propter supplicia, ut simul animus feratur in Deum ut obiectum diligibile. Quae est acceptio inter Theologos, num sufficiat attritio servilis, quae elicitur ex unico metu gehennae, & poenarum, nullo vel initiali, Dei amore adjuncto: vel requiratur saltem conjunctus amor Dei initialis. In hac quaestione nihil decidendum ab Episcopo monet Sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. suadet tamen, ut doceantur Confessarii aequum esse hortari poenitentes ad veram, & perfectam contritionem, quod & in Rituali jussu Pauli V. edito monetur. *De syn. a. vices. lib. 7. c. 13. per totum.*

11 Attritio in Sacramento Penitentiae dicitur fieri Contritio, & Attritus fieri Contritus, non formaliter, quia non variatur obiectum, seu motivum, cum adhuc Attritio sit ex motivo timoris Inferni, vel alterius mali, quibus Deus castigare solet peccata, sed solum effective, & equivalenter, quatenus Attritio cum Sacramento in re justificat peccatorem, sicut Contritio cum Sacramento in voto. *Communis cum S. Thoma in Suppl. q. 1. art. 2. & Scotus in 4. dist. 14. q. 4. ad 2. Sporer tom. 3. p. 3. cap. 2. sect. 3. q. 3. n. 277. & seqq.*

12 Ut autem Attritio cum Sacramento in re sufficiat ad justificationem peccatoris, requiritur, quod procedat ex aliquo motivo supernaturali; Unde dolor mere naturalis non sufficit; sic non sufficit dolor de peccato, eo quod propter ipsum peccator publicam infamiam incurritur, poena pecuniaria mulctatus fuerit, & hujusmodi. Habetur clare ex Conc. Trid. sess. 14. c. 4. ubi docet, quod Attritio, quae ad Dei gratiam in Sacramento Penitentiae impetrandam disponit, debet esse donum Dei, & Spiritus Sancti impulsus, qualis non est Attritio naturalis ex motivo pure humano, & naturali. Hinc merito Innoc. XI. die 2. Martii 1679. damnavit sequentem propositionem in ordine 57. ibi; *Probabile est, sufficere Attritionem modo honestam.*

13 Sufficit tamen dolor de peccatis ob metum poenarum temporalium, ut a Deo immissarum, vel immitandarum, v. g. Si quis doleat de peccatis propter morbum, famem, sterilitatem, bellum, aliasque similes poenas temporales, ut a Deo inflatas, vel infligendas propter ipsa peccata: nam talis dolor non elicitur ex motivo vere humano, & naturali, sed respicit Deum, ut justum vindicem peccati, & ultorem ejus pro poenis etiam temporales; adeoque cum sic sit elicitus ex motivo supernaturali, est dolor supernaturalis, & sufficiens. *Communior inter Doctores & probabilissima. Sic La-Croix lib. 6. p. 2. num. 884. cum plurimis ibi citatis, Anaclet. Theol. moral. tract. 14. de Sacramento dist. 6. q. 4. n. 42. Sporer loc. cit. n. 243. & seq. Felix Potest. tom. 1. part. 4. n. 3063. Rosignol. de Penitentia part. 1. q. 3. art. 21. n. 9. & seq. Viva ad propor. 57. ex damnat. ab Innocent. XI. n. 1. & alii passim, & colligitur ex Concilio Tridentino sess. 4. ubi dicit, Attritionem supernaturalem concipi, aut ex consideratione turpitudinis peccati, aut ex gehennae, & poenarum metu; & insuper addit exemplum de Ninivitis, qui timore subversionis civitatis, & mortis, quae erat poena temporalis, poenitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt, ibi: *Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitis ad Jone praedicationem plenam terroribus poenitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt. Unde merito ab Alexandro VIII. die 7. Decembris 1690. damnata fuit sequens propositio 15. in ordine ibi: Attritio, quae gehennae, & poenarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.**

Et a fortiori sufficit Attritio, seu dolor de peccatis ob metum gehennae, *Communior.* Habetur enim clara ex Concilio Trident. sess. 6. Canon. 8. ibi: *Si quis dixerit, gehennae metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit; & sess. 14. cap. 4. ibi: Contritionem imperfectam, quae Attritio dicitur, quoniam, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae, & poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, declarat non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsus; non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quavis sine Sacramento Penitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen cum ad Dei gratiam in Sacramento Penitentiae impetrandam disponit. Hinc Alexander VIII. d. die 7. Decembris 1690. merito damnavit sequentem propositionem 14. in ordine, ibi: *Timor gehennae non est supernaturalis.**

Item sufficit Attritio ob turpitudinem peccati supernaturaliter, seu ex Fide cognita. *Communior.* Habetur ex Concilio Trid. cit. sess. 14. cap. 4. per haec verba relata numero antecedenti: *Vel ex turpitudinis peccati consideratione, ubi subdit, Attritionem ex tali consideratione conceptam verum donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsus. Unde merito ab Alexandro VIII. d. die 7. Decembris 1690. fuit damnata sequens propositio 9. inter alias. Revera peccat, qui odio habet peccatum, mere ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali sine ullo ad Deum offensum respectu.*

Item sufficit ille dolor, quo quis dolet, se non dolere de peccatis, sicuti deberet, si per hoc judicet, quod de suis peccatis vere dolet; sed non tam vehementi dolore ac deberet, quia cum Sacramento Penitentiae sufficit ad justificationem etiam remississimus dolor, si nihil aliud desit, quam intentio, & dummodo sit verus dolor de peccatis conceptus ex motivo supernaturali cum absoluto proposito non peccandi de cetero. Gobat tr. 6. n. 111. Lessius in Aulario verb. Confessio car. 2. & alii passim.

Non sufficit tamen dolor ille, quo quis dolet se non dolere de suis peccatis, si per hoc judicet se carere vera detestatione, & displicentia peccatorum, & potius sentire complacentiam de illis, quam odium, ac proinde dolere, quod hanc complacentiam, & affectum jam nequeat superare: Et ratio est, quia hic non est dolor, sed carentia doloris peccatorum, & venia peccatorum seu justificatio non acquiritur per dolorem solummodo conceptum, sed per re ipsa existentem dolorem de peccatis. Gobat l. c. Felix Potestas tom. 1. part. 4. n. 3068. & alii communiter.

Attritio etiam cognita ut talis sufficit cum Sacramento ad salutem, & justificationem. *Est Communior.* Et ratio est, quia Concilium Tridentinum sess. 14. c. 4. dogmatice loquens per verba adducta supra n. 11. absolute, & simpliciter dicit Attritionem cum Sacramento disponere ad gratiam, adeoque sufficit Attritio etiam cognita ut talis, quando scilicet poenitens certo scit, ac cognoscit se esse dumtaxat Attritum; aliis Sacramento Penitentiae non esset Sacramento mortuorum; id est, per se, ac primario a Christo Domino institutum ad remissionem peccati mortalis, & collationem primae gratiae Sanctificationis, si virtute ejus nunquam conferretur prima gratia, sed mediante Contritione perfecta, semper supponeret jam ante Confessionem collata, & remissio peccatorum concessa.

Attritio putata, & aestimata tantum etiam invincibiliter existimaretur, & reputaretur sufficiens, & secundum suum verum esse reale non esset talis, non conficeretur validum Sacramento; Cum Attritio secundum suum verum esse reale non minus sit pars essentialis Sacramenti Penitentiae, ac Hostia triticea secundum suum verum esse reale sit pars essentialis Sacramenti Eucharistiae, adeoque &c.

20 Et ratio nostrae Conclusionis est, quia & Concilium Florentinum in decreto Unionis, & Trid. cit. sess. 14. c. 4. requirunt ad hoc Sacramento Attritionem veram, & non aestimata, vel putatam tantum; nam Attritio putata tantum etiam invincibiliter non est vera Attritio, sicut homo pictus non est verus homo, quamvis etiam invincibiliter aestimetur, & putetur talis; Nec talis Attritio aestimata, vel putata, v. g. inefficax, naturalis tantum, &c. est donum Dei, vel impulsus Spiritus Sancti, cum non sit concepta veris motivis a Concilio l. c. assignatis, nec habeat alias condiciones, & perfectiōnes, quas ibi Concilium attribuit Attritioni sufficienti in Sacramento ad justificationem.

Hinc clare patet, quod Sacramento Penitentiae non potest esse validum quoad essentiam, & informam quoad effectum Gratiae, quia deficiente aliqua parte substantiali, & essentiali, Sacramento ipsum est invalidum: atqui Attritio vera supernaturalis est pars substantialis, & essentialis Sacramenti, & non mera dispositio; ergo non existente vera Attritione supernaturali, non potest existere validum Sacramento. Major est invincibiliter, admissa ab omnibus, etiam adversariis; Minor patet ex Conc. Trid. cit. sess. 14. c. 4. ubi inter partes essentielles, Sacramenti Penitentiae assignat ipsam Attritionem veram, & supernaturalem.

Nec valet objicere, quod, quamvis deficiat hujusmodi Attritio secundum suum esse verum, & reale, existat tamen secundum existimationem, & apprehensionem Poenitentis confitentis; quia, sicut a pari si in Sacramento Eucharistiae adhiberetur Hostia, quae etiam invincibiliter reputaretur triticea, & talis secundum suum verum esse reale non esset, non validum conficeretur Sacramento, quia secundum verum esse reale deficeret pars essentialis materialis; ita si in Sacramento Penitentiae adhiberetur Attritio, quae etiam invincibiliter existimaretur, & reputaretur sufficiens, & secundum suum verum esse reale non esset talis, non conficeretur validum Sacramento; Cum Attritio secundum suum verum esse reale non minus sit pars essentialis Sacramenti Penitentiae, ac Hostia triticea secundum suum verum esse reale sit pars essentialis Sacramenti Eucharistiae, adeoque &c.

Tum quia Sacramento Penitentiae validum, est Sacramento verum, & perfectum includens omnes suas partes essentielles cum debita intentione Ministrum, adeoque est signum verum efficax practicum Gratiae ex institutione Christi, & acceptatione, ac promissione Dei, qui est infallibilis veritatis; atqui implicat tale signum verum efficax, practicum Gratiae sine suo signato, scilicet sine suo effectu Gratiae, ergo implicat Sacramento Penitentiae validum quoad essentiam, & informam quoad effectum Gratiae. Major est de se clara, & minor patet, quia alias tale Sacramento non esset signum, verum efficax practicum Gratiae ex institutione Christi, & acceptatione, ac promissione Dei infallibilis veritatis, quod non est dicendum.

Nec valet dicere, quod sicuti alia quaedam Sacramenta possunt esse valida quoad essentiam, & informia quoad effectum, scilicet carere effectu Gratiae ob indispositionem suspicentis, ut praesertim asserit communiter de Baptismo, ad quem si adultus sine debita dispositione accedat, scilicet fide sine dolore, & Fide, hic recipit Baptismum validum quoad essentiam, & informem quoad effectum Gratiae, quam pro tunc ratione indispositionis, seu fictionis non recipit, sed solum recipit ex post, recedente fictione ex vi Baptismi praeteriti.

Non valet, inquam, paritas adducta de aliis Sacramentis, & de Sacramento Penitentiae, quia magna est disparitas, & differentia inter hoc, & alia Sacramenta; quia in aliis Sacramentis dispositio necessaria ad effectum distinguitur ab omnibus illis, quae ad eorum essentiam requiruntur. At in hoc Sacramento poenitentiae idem actus, qui est dispositio necessaria ad ipsius effectum, est etiam ipsius pars essentialis, cum dolor sit ejus materia proxima; Unde alia Sacramenta, cum non includant ut partem essentialem ipsam suspicentis dispositionem, possunt esse valida quoad essentiam, & informia quoad effectum Gratiae, quia omnia essentialia includere possunt, etiam si debitam suspicentis dispositionem non includant in ordine ad effectum Gratiae. At non sic Sacramento Penitentiae, quod cum ipsam Poenitentis dispositionem includat, ut partem essentialem, quoties eam includit, non solum est validum quoad essentiam, sed etiam efficax, & formatum quoad effectum Gratiae, & quoties eam non includit, non solum est inefficax, & informis quoad effectum Gratiae, sed etiam invalidum quoad essentiam.

Item nec valet dicere, quod Sacramento Penitentiae potest esse validum, & informis ex defectu doloris extensive, quia potest dari casus, quo quis habens tantum duo peccata mortalia disparata, v. g. mollitiei, & homicidii, invincibiliter oblitus peccati mollitiei, eliciat actum doloris tantum de peccato homicidii, ex speciali motivo, & peculiari turpitudine illius peccati in specie, illudque confiteatur; atqui in hoc casu Sacramento esset validum, & informis, ergo &c. Major est clara, cum casus non sit impossibilis: Minor autem ostenditur, quia in tali casu Sacramento esset validum, cum ibi adessent omnes partes essentielles, scilicet sufficiens dolor, & Confessio de peccatis memoria occurrentibus, de quibus tantummodo tenetur Poenitens dolere, & ea solum confiteri, cum nemo ad impossibile possit obligari: textu expresso in l. Impossibilem 185. ff. de Reg. juris, & cap. Nemo potest 6. de Reg. juris, in 6. (Lit. D. pag. 54. n. 54. & pag. 60. n. 14.) Esset autem informis, scilicet sine effectu Gratiae, quia in tali casu peccatum Mollitiei oblitum non esset remissum, nec directe, ut de se patet, cum non esset confessum: nec indirecte ex vi absolutionis peccati Homicidii confessi, quia nullum peccatum remitti potest sine ullo dolore formali, aut saltem virtuali supra ipsum cadente, & in dicto casu non caderet supra peccatum mollitiei dolor formalis, ut supponitur, nec dolor virtualis, quia dolor peccati homicidii, cum supponatur habitus ex solo speciali motivo, & ex sola peculiari turpitudine peccati homicidii, non potest virtualiter extendi ad peccatum mollitiei penitus di-

diversae rationis, & speciei, cum non possit comprehendi sub illa speciali turpitudine. Unde cum in tali casu neque esset remissum peccatum homicidii confessum, ex quo, ut omnes fatentur, non possit unum peccatum mortale remitti sine alio, tunc daretur Sacramentum validum quoad essentiam, & informem, quoad effectum Gratiae.

27 Non valet, inquam, quia etiam admissa majori negatur absolute minor, scilicet, quod tunc Sacramentum esset validum, & informem quia vel talis dolor esset sufficiens ad valorem Sacramenti, vel non: Si esset sufficiens ad valorem Sacramenti, esset etiam sufficiens ad effectum & fructum Sacramenti, quia non potest esse dolor sufficiens ad valorem Sacramenti, nisi sit dolor reconciliativus cum Deo; Conc. enim Trid. sess. 14. c. 3. dicit: Sane vero res, & effectus huius Sacramenti quantum ad eius vim & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, & dolor reconciliativus cum Deo continet implicitam, & virtualiter detestationem omnium mortalium, sicuti patet de actu perfecta charitatis, qui virtualiter continet detestationem omnium peccatorum mortalium, quamvis homo eorum omnium non recorderetur, quia actus ille stare non potest cum affectu ad aliquod peccatum mortale. Et sic cum talis dolor de homicidio contineret in dicto casu etiam implicitam, & virtualiter dolorem, & detestationem mortaliu, Sacramentum non solum esset validum quoad essentiam, sed etiam formatum quoad effectum Gratiae. Si autem non esset dolor sufficiens, tunc Sacramentum non solum esset informem, sed etiam invalidum, & nullum ob defectum materiae proximae necessariae, qui est dolor reconciliativus cum Deo continens saltem implicitam, & virtualiter detestationem omnium mortalium, etiam invincibiliter, & inculpabiliter obliturum.

28 Nec valet instare, quod potest dari casus, quo quis vere doleat de aliis suis peccatis mortalibus, & ipsa confiteatur. At si de aliquo non doleat, nec ipsum confiteatur, credens, & firmiter tenens ex aliquo sibi viso rationabili motivo non obligari ad dolorem, & Confessionem dicti peccati, ut fertur de adultera matre illorum trium insignium Fratrum, videlicet Gratiani celeberrimi Compilatoris decreti, Petri Lombardi, vulgo Magistri sententiarum, & Petri Comestoris historici ecclesiasticae eximii Collectoris, quae cum dictos tres suos filios ex adulterio procreasset, & postea videns, & audiens quanta nominis celebritate dicti sui Filii in Orbe florent, quantumque commodum, & utilitatem universae Ecclesiae attulissent, ita gavisus fuit de tali conceptione liberorum, ut crederet stulte se acturam, si doleret de peccato, quo tantos viros pepererat; unde vere ipsa dolente de aliis peccatis, eaque confitente, de tali autem adulterina conceptione non dolente, nec ipsam confitente, ratione talis inculpabilis credulitatis, fuit Sacramentum vere quidem validum, sed informem, ex quo fuit sine remissione etiam illorum peccatorum, quae cum vero dolore in Confessione aperuit, quamvis ipsa ratione talis inculpabilis credulitatis non peccaverit.

29 Non valet, inquam, quia in primis dictus casus est fabulosus, ut testatur Bellarminus in libro de Scripturis ecclesiasticis, verb. Petrus Lombardus, Gobat tracl. 6. n. 171. cum sequentibus pluresque alii, & novissime doct. P. Ignatius Hyacinthus Amat, de Graveson in sua historia ecclesiastica tom. 4. p. 2. fol. 644. prime impressionis Romanae, his praecisis verbis: Fertur, Petrum Lombardum, Gratianum, & Petrum Comestorem germanos Fratres fuisse ex adulterio procreatos, quorum mater de peccato, quo tantos viros pepererat, virum dolere poterit: sed haec historiola inter aniles fabulas reponenda est, cum certissime constet, Petrum Lombardum Insubrium fuisse, & patriam Novariensem, Gratianum ex Etruria in oppido Clusio oriundum, Petrum vero Comestorem natione Gallum, patria Trecentum. Qui igitur fieri potuit, ut tres illi insignes viri, nationibus adeo diversis ejusdem matris ex utero prodierint: apage fabulam. Haestenus ille. Et in vita Gratiani appositam ad calcem sui decreti in veteribus exemplaribus habetur sic praecise: Alii tamen fatentur eos nec germanos, nec contemporaneos fuisse, etsi tempore vicinis; Claruit enim Gratianus temporibus Henrici IV. anno Domini millesimo centesimo vigesimo, Petrus Lombardus sub Conrado Imperatore III. anno Domini millesimo quadragésimo, & Petrus Comestor sub Frederico Imperatore primo anno Domini millesimo centesimo sexagesimo. Haec ibi.

At statim etiam, & non concessio pro vero dicto casu, cum illum referant plures Scriptores, ut habetur in dicta vita Gratiani his verbis: Et a quibusdam praedicatur in populis, hos tres, Gratianum videlicet, Petrum Lombardum, & Petrum Comestorem, fuisse germanos ex adulterio natos. Quorum mater cum in extremis peccatum suum confiteretur, & Confessor redargueret crimen perpetrati adulterii, quia valde grave esset, & ideo multum deberet dolere, & penitentiam agere; Respondit illa: Pater, scio, quod adulterium peccatum magnum est, sed considerans quantum bonum secutum est, cum isti filii mei sint lumina magna in ecclesia, ego non valeo poenitere. Et Confessor ad eam: Quod tui Filii sint notabiles viri, & opera utilia fecerint ecclesiae Dei, non ex te, sed ex dono Dei est. Ex te autem adulterium crimen magnum, & de hoc doleas. Et si non habes tantum dolorem, quantum exigit, tam horrendum scelus, de hoc tamen doleas, quod non potes dolere. Haec ibi. Et referunt etiam Tiracell. de nobilitate cap. 15. n. 32. Caramuel in rheol. fundamentali, & alii plures. Dato igitur, & non concessio pro vero dicto casu. Respondetur, quod si dicta mater in dolore formali de aliis suis peccatis mortalibus non habuit etiam dolorem saltem implicitum, & virtualem de ipso suo adulterio, sed potius eum exclusit, Sacramentum nedum fuit informem, & infructuosum, sed etiam omnino invalidum, quia non habuit dolorem requisitum, & sufficientem ad valorem Sacramenti. Ad valorem enim Sacramenti requiritur dolor supernaturalis, & universalis saltem virtualiter respectu omnium peccatorum mortalium. Unde si de uno solo mortali scienter non habetur, nec scienter vellet haberi dolor, peccatur gravissime, & nullum reditur Sacramentum, quia deficit materia proxima necessaria, quae est dolor reconciliativus cum Deo, qui saltem implicitam, & virtualiter debet includere detestationem omnium mortalium, etiam invincibiliter obliturum, aut inculpabiliter ignorantium.

Dicitur autem notanter respectu omnium peccatorum mortalium; nam secus est de peccatis venialibus, ad quorum Confessionem licet requiratur aliquis dolor, ac propositum eadem evitandi, tamen potest haberi dolor, & remissio de uno, etiamsi non habetur dolor, & remissio de aliis, quia venialia, cum non sint materia necessaria, sed solum sufficiens, possunt, omnia, vel aliqua eorum in Confessione etiam voluntarie omitti sine ullo peccato, ut expresse habetur, ex Conc. Trident. sess. 14. cap. 5. ibi: Nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in qua frequentius labimur, quamquam recte, & utiliter, citraque omnem presumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen circa culpam, nisi quisque aliis modis expiari possunt.

Dolor de peccatis mortalibus commissis debet esse summus, non intensivus, sed appetitativus, ita ut Poenitens nihil magis detestetur, quam peccatum, & velit potius omnia mala mundi periret, quam mortaliter Deum offendere. Communis.

Dolor requisitus ad Sacramentum Poenitentiae consulto, & utilissime praemittitur Confessionem; non debet

bet tamen necessario Confessionem praecedere; sed sufficit, ut eliciatur in ipsoem Confessionis actu, ut patet ex communi sensu Fidelium, & recepta praxi Confessoriorum, qui post auditam Confessionem solent exortari Poenitentes ad eliciendum dolorem, quem de facto ipsi Poenitentes amplius pro tunc elicere curant. Sic Doctores Communiter.

35 Debet tamen talis dolor necessario praecedere absolutionem, nec sufficit, si eliciatur post ipsam absolutionem; sed sufficit quod dolor sit elicitus mane, & actum non retractato Poenitens confiteatur postquam, quinque, & sex horas. Communis. Immo sufficit etiam si quis vesperi examinans suam conscientiam eliciat actum doloris non habenda Confessione in crastinum; hic enim actu non retractato poterit sequenti mane valide confiteri sine novo actu doloris; Communis. Quinimo Tamburinus in metodo expedita Confessionis l. 1. c. 2. §. 3. Gobat tr. 6. n. 159. & alii dicunt valere actum doloris elicitum non solum praecedenti vesperi, sed etiam praecedenti die; dummodo relate ad Confessionem habendam, & actus non sit retractatus, cum adhuc moraliter, & virtualiter perseveret.

36 Non est autem necesse, quod dolor, seu Attritio eliciatur immediate ante absolutionem, vel Confessionem, sed sufficit quod dolor sit elicitus mane, & actum non retractato Poenitens confiteatur postquam, quinque, & sex horas. Communis. Immo sufficit etiam si quis vesperi examinans suam conscientiam eliciat actum doloris non habenda Confessione in crastinum; hic enim actu non retractato poterit sequenti mane valide confiteri sine novo actu doloris; Communis. Quinimo Tamburinus in metodo expedita Confessionis l. 1. c. 2. §. 3. Gobat tr. 6. n. 159. & alii dicunt valere actum doloris elicitum non solum praecedenti vesperi, sed etiam praecedenti die; dummodo relate ad Confessionem habendam, & actus non sit retractatus, cum adhuc moraliter, & virtualiter perseveret.

37 Qui in Confessione oblitus est alicujus peccati mortalis de quo antea explicite, & formaliter non doluit, potest paulo post datam absolutionem illud confiteri, absque eo quod habeat novum dolorem, cum dolor prior virtualiter, & moraliter se extendat etiam ad peccata oblita, & perseveret, ac valet, ac si esset novus dolor de solis peccatis oblitis. Diana part. 9. tracl. 3. res. 50. & 51. Lugo disp. 15. de Poenit. sect. 3. Gobat tr. 6. n. 165. ubi cum Diecastillo disp. 2. dub. 12. testatur de communi.

38 Item si propter imminens mortis periculum absolvatur moribundus, & subito tantum uno vel altero peccato, potest postea a auditis reliquis secundo absolvi ab illis ex vi prioris doloris moraliter permanentis, absque eo quod novum eliciat dolorem. Citati Doctores, & alii passim.

39 Dolor ad hoc, ut sufficiat pro valore Sacramenti, debet esse conjunctus cum proposito non peccandi de cetero. Communis; ex Tridentino sess. 14. cap. 4. propositum non peccandi de cetero, quamvis per se loquendo debeat esse formale, & expressum, ut tenet communior Theologorum, tamen sufficit etiam quod sit implicitum, & virtuale, quia verus dolor reconciliativus animae cum Deo, est incompossibilis cum proposito peccandi, unde includit virtualiter propositum de non peccando de cetero, adeoque sufficit propositum virtuale, & implicitum. Scotus in 4. dist. 14. q. 4. §. Ad primum argumentum dist. 17. q. unic. in solut. principalium; & alibi, Felix Potestas tom. 1. p. 2. n. 3072. Leand. tr. 5. disp. 7. q. 22. & alii passim.

40 Huius sententiae oppositum auctoritatem, & Ferrar. Biblioth. Tom. VII.

verba Card. Bellarm. lib. 2. de Poenit. cap. 6. ubi necessitatem propositi formalis, & expliciti, adstruit per totum. Sed nobis, inquit, communis, ac trita, & veteribus via semper visa est, utior, & commodior; (utinam ejus semitas Casulista calcassent) Probatur igitur, ad contritionem requiri explicitum, ac formale propositum vite melioris.

41 Propositum debet esse absolutum, firmum, efficax, & universale, se extendens ad omniam mortalium imperium evitanda. Communis. Quamvis autem propositum debeat esse absolutum, firmum, efficax, & universale, non requiritur tamen credulitas, seu existimatio, vel persuasio certa ex parte intellectus, quod quis deinceps non amplius sit relapsurus. Layman lib. 5. tr. 6. cap. 4. n. 8. Petrus Marchantius r. 1. Tribunalis tr. 4. tit. 3. q. 3. Reiffenstuel Theol. moral. tracl. 14. dist. 6. q. 4. n. 52. Sporer tom. 3. p. 3. c. 2. sect. 4. n. 310. ubi testatur de communi. Felix Potestas loc. cit. n. 3073. ubi dicit esse commune. Et ratio est, quia dolere de peccatis, & proponere de cetero non peccare, est actus voluntatis; existimare autem, seu credere, vel sibi persuadere, quod non amplius sit relapsurus, sed servaturus propositum voluntatis praesentis, est actus intellectus, qui ob cogniam humanae conditionis fragilitatem, nostraeque voluntatis mutabilitatem, & plurimas hinc inde peccandi occasiones, ex dicto dolore, & proposito voluntatis non necessario consequitur: potest enim quis vere dolere, & detestari peccatum, ac vere, & absolute proponere se de cetero non peccaturum, & nihilominus timere, aut existimare, immo certe credere se ob dictas rationes non omnia mortalia evitaturum, sed in hoc, vel illud peccati genus iterum relapsurum. Unde si Poenitens dicat: Omnino quidem doleo, ac firmiter propono iterum faciam, abstinere, interim tamen scio, quod iterum faciam, iterum labar jam toties expertis &c. Is tamquam bene dispositus praemissa confirmatione, & consolatione debita absolvens est, quia sensus verbi, iterum faciam, est tantum indicativus, seu enumerativus ex parte intellectus. Secus autem, si sensus esset optativus ex parte voluntatis significans scilicet actualem aliquem affectum voluntatis ad peccatum in futuro, quod valde notandum est, ut ex communi expresse notat, & docet Sporer l. c. n. 310.

42 Laxissima doctrinae hoc in numero traditae Apostoli verba oppono, ad Rom. cap. 8. scribens: Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura, neque alia poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro.

43 Circa sola peccata venialia, sicuti in Sacramento Poenitentiae requiritur supernaturalis dolor, & detestatio eorum, ita requiritur propositum absolutum saltem virtuale, & implicitum vitandi ipsa venialia, confessa, vel saltem unum, vel alterum ipsorum, quia Poenitens debet habere voluntatem efficaciam absolute vitandi id omne de quo sperat absolutionem, alioquin non esset vere Poenitens. Dicitur autem notanter, Vel saltem unum, vel alteram ipsorum, quia licet peccet venialiter qui confitetur alia venialia, de quibus non habet verum dolorem, & propositum sufficiens; si tamen de illo uno, vel altero vere Poenitens proponat efficaciter illud vitare, valet Sacramentum secundum communem Doctorem, quamvis aliqui defendant contrarium.

44 Quantum ad Confessionem Sacramentalem plures exortae sunt haereses, & praecipue tres hic adducuntur, & confutantur. Prima docet Confessionem Sacramentalem non esse a Deo institutam, sed esse merum humanum inventum. Auctor hujus falsitatis fuit quidam Petrus Hispanus Oxomensis in Salmantina Universitate Theologiae Professor, qui postea hanc haer-